

vno volumine comprehensorum in 8: quae rarissima sane est editio. Charta vero colorata est, ne albor oculorum aciem offenderet; id quod non parum deformat exemplar. Nisi tamen ingratum Tibi esset, proxime id Tibi offerrem, vt pote quod iam meis in manibus versatur, non immemor propterea futurus promissorum, si in rariorem N. Testamenti editionem Erasmanam incidero.

BARTHOLDI BOTSACCI. *Brunop.* 1683. 13. *Iun.* DEO sic dirigente factum est, vt nudius tertius ad Superintendenturam Brunsvicensem vocationem acceperim, eamque acceptarim, expectans intra quatuordecim dies solemnem introductionem. Id quod referendum duxi, eo animo, qui nunquam desinet gratus agnoscere salutare illud patrocinium, quo studia mea Academica & liberaliter fovisti & in exstantiorem scopum prudenter direxisti. Cuius providae curae cum nunc videatur propior apparere fructus, par erat, vt in eius notitiam ipse admittereris, cui magna ex parte hunc refero acceptum. Faxit modo Deus per Spiritus sui abundantem gratiam, vt, si non plane assequar vestigia clarissimorum Antecessorum, MORLINI, CHEMNITII, LYSERI, WELLERI, &c. saltem ad ea quadantenus insequenda identidem exciter, inque hoc stadio omne studium in maiorem DEI gloriam atque Ecclesiae emolumentum non sine fructu impendam. Idem clementissimus DEVS insigne SCHABBELIANI quadruplicis STIPENDII monumentum potenter asserat ac conservet, quo pluribus inde suppetat ad maiora adspirandi facultas!

Cum voto hoc Botsacciano meum sincere coniungo, eodemque hanc Commentationem lubens obfigno.

FIAT! FIAT!

Επίμετρον

ad pag. II.

LVCAM BACMEISTERVM laudat etiam, & eius Scripta simul recenset GEORG. HENR. GOETZIVS in Orat. de Viris doctis LVCAE insignitis nomine (Lubec, 1709. 4.) p. 6.

I. INDEX